

† R. P. Carolus Härle (1881-1952)

(Prov. Germ. Sup.)



Die 3 Decembris 1952, tribus mensibus ab aureo professionis iubilaeo accurate completis, in Gars mortuus est Pater, qui non minus regulari observantia quam indefesso animarum zelo eminuerat, R. P. Carolus Härle.

Eum, 6 Martii 1881 in Obersulmetingen, dioecesis Rottenburgensis, mundum ingressum, parentes, qui parvos agros colebant, piissime educaverunt. Puer Carolus in loco patrio scholam elementarem et deinde scholam iuvenibus agricolis creatam frequentabat. Hoc tempore minime attentionem sacerdotii vel status

religiosi attigisse videtur, praesertim cum parentes sumptus studio longiori necessaris sustinere nequirent. Sed mense Augusto a. 1894 Pater Societatis Verbi Divini in vicum natalem venit, quod factum in anima pueri vocationem sacerdotalem excitasse videtur. Postquam per annum et medium domi in disciplinis humanioribus instructus est, a. 1896 non Societati Verbi Divini sese assocavit, sed in Maria-Dürnberg in Austria sitam profectus est, ubi tunc Redemptoristae Provinciae Germ. Sup., tempore sic dictae contentionis culturae (*Kulturkampf*) e patria expulsi, iuvenatum habebant. Iuvenista et litterarum studio et religiositate eminentis confidentia Servi Dei P. Casparis Stangassinger fruebatur, qui illo tempore P. Directoris quasi manus dextera erat, qua de causa etiam P. Härle in processu informativo unus e testibus principalibus fuit. Studiis in Maria-Dürnberg et postea in Gars persolutis periculum maturitatis in gymnasio civili Landshutensi subiit, deinde noviciatu in Gars peracto et a. 1902 votis perpetuis emissis ibidem sex annis studiis philosophicis et theologicis incumbebat. Toto hoc tempore ob severissimam suam religiositatem Superiorum confidentia afficiebatur. Die 16 Iunii ab Exc.mo Episcopo Ratisbonensi Antonio Henle in ecclesia nostra Deg-

gendorfensi sacerdotio auctus, die 23 eiusdem mensis in vico natali primam Missam cantavit.

Secundo tirocinio immediate post studentatum peracto, P. Härle, quem scientia profunda, valetudo optima, vox fortissima, regularis observatiae zelus vitae missionali apprime aptum reddebant, ex inopinato a Superioribus lector iuvenatus fieri iussus et ad Universitatem Monacensem missus est, ubi examini bus publicis par fieret magistris gymnasiorum publicorum. Oboedientia difficilima erat, nam ut philologus classicus, uti vocatur, non modo linguas antiquas et opera complurium veterum scriptorum callere, sed etiam conspectum totius litteraturae Germanicae scire debebat, necnon linguam Germanicam mediaevali et evolutionem historiae universalis diversarum culturarum. Hac eruditione, magna ex parte aridissima, per octo semestria macerari certe plurimis non placet, et P. Härle quoque quodcumque aliud opus maiore cum gaudio sibi elegisset, sed mandatum Superiorum voluntatem Dei reputans, opus magnum adiit et, ut eius erat mos, fortiter, dextere, feliciter exegit. Quod interdum cum professoribus in re morali aequo liberalius iudicantibus altercatus est, nemo, qui hunc impavidum veri iustique propugnatorem noverit, mirabitur. Studium hoc universitarium per decem menses instructio practica sequebatur in quodam gymnasio publico, qua exercebatur in arte recte et apte docendi.

Studiis Monachii absolutis statim Director iuvenatus Garsensis nominatus, Deo et sibi ipsi confisus, principia et methodos, quae didicerat, in proxim deducere conabatur indefessa firmitate, ita ut reprehensionem collegarum et querelas discipulorum non effugeret, dicentium iuvenem Directorem esse in rebus minutissimis aequo rigidiorem seu pedanticum. Sed cum seria constantia semper connexa erat assidua, quae nullo labore fatigari poterat, cura erga iuvenistas, obstacula removens, quae primum magnum bellum obstruebat. Nihilo secius gavisus est, cum triennio expleto onere directorii liberatus, meri lectoris partes agere posset. Desiderio enim magno desiderabat labores apostolicos cum lectoris officio compatibiles suspicere. Sic Patrem Härle vides paroecialis Congregationis Marianae virginum et puellarum moderatorem assiduumque confessarium confratrum, et insuper in ecclesia paroeciali, collegio Garsensi adiacente, clientelae semper crescentis adiutorem zelantissimum.

Paulum temporis effluxit et confessarius Scrorum Franciscanarum in conventu *Au*, a Gars ferme 5 km. distante, creatus est. Sibi non parcens omni hebdomade, etiam hieme acerrima, hoc iter agebat, quamquam complures annos e cruris vulnere aperto laborabat. Ne nimium temporis amitteret, birota uti aetate iam proiectior didicerat, cuius quippe instrumenti felicem usum tantum pretio aliquorum lapsuum plus minusve periculosorum aliquarumque faciei cicatricum assecutus est.

Speciali charismate praeditus fuisse videtur exercitorum moderandorum, praesertim pro religiosis utriusque sexus. Interrogantibus, quomodo talibus laboribus tempus invenire posset, ipse responsum dat in epistola P. Provinciali missa: *Exercitia tradere mea regularis recreatio tempore feriarum erat*. Ibi etiam

addit sibi sermonem recitanti nunquam alicuius scripti adiutorio opus fuisse, sed se omnia libere locutum esse, etiam 80 illos sermones, quos bis Fratribus scholasticis Marianis habuisset. Macte virtute! Quippe, memoria tenacissima et eloquentia naturalis eum adiuvabant. Exercitia dirigens semper methodo Sancti Ignatii adhaerebat, immo semel feriis propriis renuntiavit, ut apud Iesuitas exercitia triginta dierum participaret. Cum senex fragilis a Superioribus ab exercitiis tradendis arceretur, valde dolens Provincialem imploravit, ne hoc gaudio privaretur. Apostolum zelantissimum etiam vividum litterarum commercium coluisse neminem admiratione afficere potest. Omnimus confratrum Garsensium maxime P. Härtle cursu publico utebatur. Semel in vita P. Härtle etiam Romanam et sanctuaria nostra Neapolitana, comite P. Aemilio Noesen Prov. Germ. Int., invisere potuit cum immenso suo solacio; accidit id a. 1938, quo in Urbe Augusti Imperatoris memoria bis millenaria per Mussolinum repristinabatur.

Laboris magistri et paedagogi finis fuit, cum tyranni nazistae iuvenatum a. 1940 suppresserunt. Ex illo tempore confrater in ecclesia peregrinationum in Monte Venusto (*Schönenberg*) sita confessarius celeber factus est, etiamsi non iam veteranus fortissimus erat et celeri progressu senescebat. Vires nervorum exhaustas esse apparuit, cum a. 1946 bello finito in iuvenatu redintegrato parvulos ab infima classe incipientes instruere iussus esset. Horum pusionum, qui ultimo belli anno schola regulari caruerant, vivacitas omnis freni expers et tot rerum ignorantia adeo eum excitabant, ut Superiores rogaret, ne amplius hoc munere premeretur. Duos adhuc annos iuvenibus tardius vocatis instruendis sese dabat et deinde scholae peremptorie valedixit. Viribus adhuc restantibus in Monte Venusto serietate utebatur ad confessiones audiendas, donec apoplexia eum feriit, cuius sequelae, licet paululum minui possent, tamen in usu brachiorum et crurum valde eum impediebant. Tandem ipse a Superioribus petit, ut in Gars transferretur, ubi in audiendis confessionibus Congregatorum et iuvenistarum occupabatur, quamquam difficillime tantum et ab alio ductus in cubiculum confessionum se conferre nec verba omnino clare proferre poterat. Etiam ultimo vitae anno observantiae regularis studiosissimus permanxit. Laborrem itionis spernens regulariter communitati intererat nec ausus esset sine Superioris permissione expressa deesse. Tam saepe Superiores adibat ad benedictionem pro parvis suis optatis expetendam (et permulta optata habebat!), ut Superior quidam diceret: *Unus P. Härtle sustineri potest; duo - nimium esset.* Debilitate vinci nolens quotidie brachia cruraque exercebat, ut rigiditatem solveret eaque flexibilita teneret. Semper rosarium manu tenens per circuitus ibat et pluries per diem ad sepulcrum S.D. P. Casparis Stanggassinger peregrinabatur, ut bonam mortem sibi imploraret, quae denique expectatione citius venit. Post brevem infirmitatem, e crure putrefacto provenientem, inter preces confratrum obdormivit in Domino. Vir laicus post mortem ita locutus est: *In P. Härtle alterum P. Stanggassinger habetis. Per decennia eum observabam et saepe eum, conventum au petentem, in vehiculum meum recipiebam. Optime eum novi vobisque dico: Prorsus alius erat ille atque nos omnes.* R.I.P. H. N.